

\*†\*      ♀      \*†\*

**P**ostridie, quam occubuerat desideratissimus CONSVL Reipublicae Primarius nec vñquam post fata ob immortalem meritorum gloriam obliuiscendus, secutus est in calcanda aeternitatis via Comitem Illum dux, quem fidelissimum fibi Ille monstratorem eius itineris elegerat, vectorisque in portum, optimum poenitenti, gratiam diuinam, scientissimum gubernatorem. Cuius vterque cursus exitum nunc optatisimum ita nactus est, vt humanis modo rebus, quod dolemus, ambo eriperentur moriendo, caelestibus quidem demum et aeternis nascerentur, adeoque paruulis et recens natis similes ex lege, quam scripsit Seruator suam in his terris ciuitatem ingressuris<sup>(1)</sup>, et simul omnibus quodammodo tulit, qui defuncti beatitatis quaedam limina transeunt, illud quoque intrarent diuinum regnum et sempiternum. Ille quidem ea ipsa die dominica prima post sacrum Paschatis, Hic postridie eiusdem diei, quae a paruulis et recens natis nomen antiquum in fastis Christianorum sacris gerit. Cuius nominis originem, communem eandem quarundam ex caeteris quoque dierum dominicalium vetustis appellationibus, satis est, ab aliis<sup>(2)</sup> dudum esse indicatam. Nobis disertissimum praecomen lugentibus verbi diuini, de sacro suggestu diuinitus euocatum, quoniam constat, verbum illud idem appellari a D. PETRO<sup>(3)</sup> infantibus aptum γάλα λογικόν καὶ ἄδολον in sententia, pro concione sacra sub introitum Sacerdotis publicas preces dicturi olim, quo die dictum est, recini solita, quae sententia ita tum vulgo recitabatur, vt inciperet a verbis: *Quasi modo geniti*, imponebatque deinde nomen illi ipsi diei, quod illo primum die admittebantur ad sacram coenam recens lauacro mystico tineti, quos eodem *quasi modo genitos* appellari mos erat illius temporis<sup>(4)</sup>: Lac nobis igitur λογικόν καὶ ἄδολον quoniam constat in hac sententia a D. PETRO verbum diuinum nominari, venit in mentem causarum illius appellationis plurimarum, quae sunt varie a variis interpretibus sacri codicis, nostris tribus pariter ac peregrinis, indicatae, ab crudissimo autem WOLFI<sup>(5)</sup> in vnum locum pleramque partem coactae. Quarum nulla est fere, vt sensus sunt hominum varii, quae mihi quidem videatur ad ipsam accedere veritatem, praeter illam, cuius idem WOLFI<sup>(6)</sup> s, alio loco<sup>(6)</sup> de eadem re differens, b. GOTTER. OLEARIVM<sup>(7)</sup> facit auctorem. Ita hic vero: Vt opponatur alibi a D. PAVLO<sup>(8)</sup> cultui Iudeorum publico, quo diuinae res humanis adumbrabantur rebus et externis (τῇ λατρείᾳ σαρκικῇ), cultus diuinus interna mente praestandus hominum Christianorum (ἡ λατρεία λογική), sic quoque a D. PETRO lacti vberum humanorum, corporis alimento (τῷ γάλακτι ἀθρωπινῷ, καὶ σωματικῷ καὶ σαρκικῷ), opponi aptum mentibus lac caeleste, verbi inter Christianos audiendi (τὸ γάλα λογικόν). Recte, arbitror, quia νέος καὶ λόγος, mens animus que hominis regeniti perque verbum recens nati non minus pabulum suum habent & lac caelesti animo et mente dignum (γάλα λογικόν), idem nempe verbum diuinum, quam lac habent geniticum ad corpus alendum paruuli (γάλα σαρκικόν), simulatque lucem hanc adepti sunt<sup>(9)</sup>. Illud vero lac caeleste mirum in modum auget incrementa hominis denuo nati, velut lac mammarum ex vbertate membra paruuli, ita, si est ἄδολον, intemeratum et ab omni fraude et corruptione remotum, a nullisque hominibus adulteratum, τοῖς καπηλέυσοις τὸν λόγον<sup>(10)</sup>, qui, velut vinum fraudulentи caupones, ita corrumptum verbum DEI.

Ac si ita recte nos hunc locum intepretamur, vt speramus, o quam longe sunt ab illius vero sensu remoti illi, qui, quoniam λόγος Graece est etiam ratio, per γάλα λογικόν nescio quam rationem ab homine diuinis in rebus audiendam intelligunt<sup>(11)</sup>. Sed iudicent alii. Nos quidem merito nunc arbitramur recordatos esse horum Apostoli verborum, quae, quum a die illo non multum discrepent, quo mortuus est Theologus hic, cuius memoriae dicantur ista, quae scribimus, tum in Illum magnopere ipsum quadrant. Nam lactea ille vbertate sermonis et vere diuino lacte digneque immortalibus hominum animis semper enutriuit omnes, qui, tanquam recens editi infantes, cupidi huius lactis erant, eodemque grandescere studebant, nec vñquam in eorum repertus est numero, qui in adulterandis oraculis diuinis malignum animi dolum produnt. Sed plura iam per se de virtutibus eius enotescent. Nam totum breuiter sumus vitae, quod habuit, curriculum, breve illud, sed meritis magnis insigne, persecuturi.

**FRIDERICVS IOACHIMVS SCHNOBEL**, Lubecensis, editus est in hanc lucem A. huius Saeculi XVIII. a.d. XVIII. Octobris. Patrem habuit virum admodum reuerendum et praeclariss. IOACHIMVM IOANNEM SCHNOBEL, coetus sacri apud nos Petrini vsque ab anno XVI. ad XXXVII. Diaconum, ad annum vero XLI. a.d. XII. Ian. quo obiit, Archidiaconum, Matrem MAGDALENAM CATHERINAM KÜSTERBECKIAM, cui Pater vnis loco omnium poterat esse imaginum, IOACHIMVS KÜSTERBECKIVS, rerum sacrarum Superintendens apud Vtinenses, primusque pastor gregis sacri, vir longe meritissimus. Namque aui et proauai qui fuerint gentis huius maternae, nos quidem haud explorato nouimus.

Paternorum vero maiorum dignissima longiorque comparet series, Aius scilicet FRIDERICVS SCHNOBEL, qui Christi tuebatur gregem Sandesnebii in Praefectura Steinhorsiensi, tunc Danica, nunc Leoburgica, Aua A MALIA gentis NORDANAЕ, Proauus primus IOANNES SCHNOBEL, qui sacro functus est munere Bargstedii in agro Tritouensi, frater IOACHIMI SCHNOBELII, I. V. D. et Profesoris P. O. in Acad. Rostochiensi, Syndici deinde et postremo Consulis designati Sedinensium, viri celebri-

<sup>(1)</sup> Matth. xviii. 3. Marc. x. 15.

<sup>(2)</sup> E. c. a CASP. CALVÖR in Rituali eccles. P. II. Sect. II. c. 33. p. 329.      <sup>(3)</sup> 1 Pet. II. 2.

<sup>(4)</sup> Vid. CALVÖR, P. I. Lib. II. Sect. I. c. 2. p. 218. Similiter a Iudeis quoque constat Proselytum quemque קתן שנולך recens natum fuisse dictum, additamque interdum causam, quia esset ille infantis recens nati instar רמי.

<sup>(5)</sup> In Cur Philolog. ad h. I. p. 106sq.

<sup>(6)</sup> ad Rom. XII. 1. p. 238.

<sup>(7)</sup> In Praelectionibus MSS. ad eundem locum. Quas praelectiones ego quamvis nunquam viderim WOLFI<sup>(6)</sup> que verbis explicet breuissimis, non immerito tamen, vt spero, mihi videor potuisse paulo fuisus explicare, quia in eadem ante fui sententia, quam locum hunc apud WOLFI<sup>(6)</sup> inspxi.

<sup>(8)</sup> Rom. XII. 1.

<sup>(9)</sup> Ita τῇ σάρκῃ, siue τῷ σώματι, etiam 1 Tim. iv. 8. 9. opponi arbitror a PAVLO τὸν λόγον. Postquam enim scriperat v. 8. illud: Ή γὰρ σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὄλιγα εἰς ἀφέλειμος· η δὲ εὐσέβεια κ.τ.λ. statim subiungit v. 9. verba ista: πιστὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἀξιος.

<sup>(10)</sup> 2 Cor. II. 17. vbi ad eas WOLFI<sup>(6)</sup>.

<sup>(11)</sup> Non hi, quod pueri in faba, vt aiunt, se inuenisse putant in verbis LUTHERI, quibus vir diuinus locum Petrinum conuertit Germanice: *Seyd begierig nach der vernünftigen Milch.* Quae tamen verba quomodo ex mente LUTHERI accipienda sint, nemo melius ostendit, quam G. G. ZELTNERVS, codicis sacri Lutherani editor accuratisimus, in suis ad hunc locum animaduerzionibus.